

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia  
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

**Meier, Gebhard Theodor**

**Helmstadii, 1696**

**§. XLIV.**

**urn:nbn:de:bsz:31-105465**

Etum, non potuit infringere D. Animadvertisens, sed silentio prætermisit, eodem modo ut antecedens.

**XLIII.** Assertio vigesima quarta: Non igitur aliud regnum gloriæ pii possunt expectare, quam illud, quod in omnem æternitatem in domo Patris obtinebunt. Infertur hæc ex præcedentibus, siquidem regnum hoc statim post adventum Christi piis donabitur, ut ostensum est in proximâ thesi, durabit autem in omnem æternitatem, juxta assertionem vigesimam primam. Ante adventum vero Christi, regnum gloriæ pii nullum obtingit, sed perpetuis objecti sunt illi calamitatibus, ut ostensum est in assertione decimâ: Nullum igitur poni potest tempus in quo alterum aliquod regnum gloriæ fideles possint adipisci.

**XLIV.** Atque ista ex ipsius fidei nostræ orthodoxæ, quam cum lacte materno imbibimus, Capitibus desumpta, & infallibilibus Scripturæ S. testimoniis evidenter comprobata, tantæ sunt certitudinis, ut & maiores nostri hymnum illum de extremo judicio, in quo omnia quæ in præcedentibus prolixius deducta sunt, brevibus comprehenduntur, certitudinis suæ his thesibus declarandæ gratiâ ita inceperint: Es ist ge wißlich an der Zeit &c. Hunc hymnum in Ecclesiis nostris toties decantatum & manifestis Scripturæ S. testimoniis innixum, merito tanti æstimare debemus, ut si quid illi, ceu fidei nostræ ipsi adversum proferatur, contra illud totis viribus, cunctis veritatem amantibus strenue sit dimicandum.

**XLV.** Quod si autem cum hisce conferatur dogma chiliaisticum, tantum hic utique reperietur differentia, ut summo cum jure Summè Venerabilis Dominus Præceptor in suo Programmate antichiliastico dixerit,

dixerit, nullum ferè articulum fidei esse, quēm non labefactet Chiliaismus : *Ducamus*, pergit ibi, *Chiliaismum per fidei articulos, deprehendemus eum vel directe, vel indirecte esse detractionem, esse μετασεροφην*, ut verbo Apostoli utar, hoc est everisionem Evangelii. Et in præcedentibus : *Chiliaismum non modo in compendio necessarium ad salutem haud contineri; verum eundem etiam non unum catecheticum dogma arietare putamus.* Quæ tamen non tam de Chiliaismo Patrum V. E. quam de illo qui nobis hodie obtruditur, intelligenda veniunt. Nec enim adeo mitem sententiam nostri Chiliaستæ obtinere poterunt, à quovis rem recte expedente, quam Patres illi antiqui, cum Chiliaismi, prout ille hodie transformatus eit, longè alia facies sit, quam antiqui illius, id quod nec ipse D. Animadvertisens ausus est negare. vid. Animadvers. §. 9. initio. unde hanc veritatem diu fuisse obsignata in suis scriptis dicunt, & jam sub ultimis temporibus à se agnitam & in lucem protractam.

XLVI. Ut ergo appareat, quam plane alium fidei nostræ, in primis quatenus res novissimas concernit, habitum induat Chiliaismus in illâ formâ, in quam nostro tempore è Veterum scoriis recoctus est à D. Animadvertente, vivis suis coloribus initio monstrum hoc opinionis erit depingendum, & per distinctas hypotheses melioris ordinis gratiâ, ex ipsis adversariorum scriptis aperte deducendum, qualem illi nobis exhibeant Chiliaismum. Libri, ex quibus illa desumuntur, erunt (1) D. Animadvertentis *Deductio Germanica*, (2) Ejusdem *Epistola de Visionibus*, (3) Ejusdem *Animadversio in Programma antichiliaisticum summe Venerabilis Domini Præceptoris* (4) *Colloquia fidei ab Uxore D. Animadvertentis in lucem edita.*